

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Caspar Mauritius Johann Schultz

Exercitatio Politica De Iustitia & Iure

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730222624>

Druck Freier  Zugang



RU phil 1647
Caspar Maindron
Johannes Schulz



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730222624/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730222624/phys_0002)

DFG

EXERCITATIO POLITICA
DE
JUSTITIA & JURE
Quam
SUMMO FAVENTE NUMINE
In celeberrima Academia Rosto-
chiensi
PRÆSIDE
Viro Clarissimo & Excellentissimo
DN. M. CASPARO MAURITIO,
Log. Prof. Publico,
Ventilationi publicæ submittit
Autor & Respondens
JOHANNES SCHUBERTZ
Rigâ Liv.
Ad diem 28. Augusti
In Auditorio Majori, horis matutinis.

• 6(0)6 •



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr.

Anno M. DC. XLVII.

1607

—afoři simsbřač smijedalo m

100

the people are

1880. 2 March 28

einigungsmöglichkeiten

31930P109

11322 84 85 CVA



THEOREMA I.

Derivari potest Justitia à Jure & Jus à Justitia.



Ulamvis paryi videatur res momenti derivationem justitiae determinare, videas tamen hic Autores non insimae notae adversis concurrere frontibus. Quidam enim à jure contendunt derivari justitiam, partim ex lege Grammatica, quod illud primitivi (à quo justus dicatur) hoc derivativi (à justo & mediante hac voce à jure) rationem habeat, ut Grammatici & cum his Wesemb. in lib. i. Digest. t. i. Num. 3. aliq; : partim ex ratione, quod omne objectum sit natura prius habitu, jus autem justitiae objectum constitutum ut Keckerti: l. i. Syst. Eth. c. 4. p.m. 173. & sequaces, vel quod jus sit causa efficiens & regula justitiae ut Alstedius Eth. Eucycl. c. 3. reg. 1. In Contrarium alii jus à justitia deduci volunt, quod illud ab hac veluti effectum à causa procedat; ita ipse Ulpianus l. i. t. princ. de just. & jure, quem potiores sequuntur interpretes. Alii distinctionis lima adhibita utramq; conciliant sententiam, priorem scil. veram esse secundum derivationem Grammaticam & lexicam, posteriorem vero valere secundum derivationem Logicam. Quibus & nos subscribimus, nisi quod distingui hic adhuc velimus inter derivationem Logicam stricte & pro priissime dictam, qua concretum denominativum, quod recte subjecto denominato attribui potest, ab abstracto denominante derivatur, qua ratione à justitia non jus, sed justus denominatur ut ex doctrina Paronymorum in Categoris Aristotelis tradita manifestum: & eandem latius & minus propriè ita appellata, qua omnis denominatio, in qua non syllabæ & apices, sed res & significata vocum maxime attenduntur, Logica scil. philosophica salutatur, & sic jus à justitia tanquam effectum à causa derivari non male asseritur. Alii justitiam dictam volunt per literarum μετάθεσιν quasi vi stitiam quod vim sifstat, sed hoc magis subtiliter quam accommodate dictum videtur.

A

HHEO.

THEOREMA II.

Justitia alia est universalis alia particularis.

Esse justitiam cum universalem cum particularem in propatulo est. Nam justitia universalis est virtus mortalis hominem ad obedientiam omnium legum inclinans, & congruerter juri & legibus in societate civili vivere faciens. Ex genere dicitur virtus moralis, quia ad aetatem moralem ut finem proximum tendit, non in nuda cognitione subsistit: ex differentia dicitur hominem ad obedientiam omnium legum inclinans, & congruerter juri & legibus vivere faciens. Leges de omnibus virtutibus ad bonum commune pertinentibus praecipere debent. Unde justitia universalis per omnes virtutis species progreditur, quia omnes universim complectitur, nullam excludit: facitq; ut quævis virtus juste decenter, æque ab homine ad alium in societate communi exerceatur. In societate, in qua, civili, ut respectus habeatur ad alios quibus cum in societate nobis versandū. Quid justitia particularis sit paulo inferius patebit. Cæterum non est hæc divisio univoca & essentialis, sed æquivoca, ut aperte secutus regulam Dialectitorum tradit Aristoteles lib. 5. Eth. Nic. cap. 1. Videatur, inquit ibi, *injustus esse leges v. olaus & alios fraudans & qui iniquus est, quare patet justum quoq; esse legi parentem & æquum, &c.* Nimis si unum contrarium est æquivocum, alterum quoq; æquivocum erit: Item, si unum conjugatorum est æquivocum, etiam reliqua sunt æquivoca...

THEOREMA III.

Justitia Universalis ab universalia virtute non distinguitur realiter, sed ratione eandem.

Hoc est quod dicit Arist. lib. 5. Nicom. c. 5. quod virtus & justitia universalis idem sint, τὸ δὲ ἔνεγκτο τὸ κύριον, esse autem utriusq; non sicut idem h. e. quod differant ἀσύντονος ratione seu definitione adeoq; formaliter, quamvis materialiter considerata eundem dicant habitum. Scilicet virtus secundum suum esse præcisè dicit habitum medium à recta ratione prudentis præscriptum, observantem, adeoq; absolutum quid denotat: justitia dicit eundem habitum, sed cum respectu quodam ad alium ad Cives f. Rem publicam. Justitia enim alienum bonum est, quia ad alterum referuntur, & aliis conduceantia agit inquit philosophus d. l. Hinc univer-

universa virtus magis proprii subjecti perfectionem notat, iustitia autem universalis eandem perfectionem quat: erga alios recte se gerit, significat. Adhac virtus dicit honestatem per se sine determinatione ad leges, iustitia vero honestatem ad legum observantiam determinatam innuit, ut ex descriptione apud Arist: patet. Neq; est ut quis cum Tiplero hic metuat, in doctrina Aristotelis contradictionem implicari, quod esse iustitiae universalis & virtutis diversum dicat, quamvis realiter non differant; nam τὸ ἔνοια phrasij Aristotelica differentiam saltem formalem, non autem realem & essentialem frequenter infert, ut exemplis adductis probat Horneius l. 3. Eth. c. II. n. 3. Sunt tamen qui iustitiam universalem diversam virtutis speciem faciunt, quos cum rationibus suis vid, apud Horneium cit. loc. Conf. M. Nicol. dec. 1. Miscel. Exerc. 4. Theor. 7. & 25. Quomodo autem iustitia respectum ad alium involvat, explicat Dom. Soto lib. 3. de J. & J. quæst. 2. art. 2. cuius hæc sunt verba: *Iustitia propriè dicit a duo requirit diversa supposita, inter qua aequalitatem constituant. Iustitia enim idem est, quod aequalitas seu aequalitatis habitus, aequalia autem nisi abusivè per Metaphoram non nisi duo dicantur, ut patet in quantitatibus ad eandem normam justificati. Rursus justificari si ad mores accommodetur, non convenit nisi humanis actionibus, actiones vero non convenient natura vel partibus, sed tantum supposito: neq; vero manus aut per injuriam propriè percutit, aut per iustitiam debitum solvit, sed homo, nisi forte per similitudinem seu tangquam instrumenta conjuncta. Quod de iustitia particulari dictum ad Universalem quoq; recte applicabitur.*

THEOREMA IV.

Justitia universalis pars est iustitia particularis.

Justitia Universalis enim est veluti totum, ambitu suo omnes virtutum species quadam quasi corona complectens: occupata etiam ~~τῷ αὐτῷ τῷ οὐ διαγέδαι~~ sic ut est apud Arist: l. 5. c. 4. s. fin. Particularis est prioris quasi pars quædam operamq; suam particulari alicui subjecto definitam habet, circa quod pensum officiorum, actuumque suorum absolvat. Partem diserte appellat Aristoteles cap. 2. compluries, ubi simul tribus argumentis dati iustitiam particulararem ostendit. Primo, si datur injustitia particularis, diversa ab injustitia universalis, conficitur, etiam concedendam iustitiam particularē. Atqui ~~τοιχοποιεῖσθαι~~ prius. E. & posterius. Minorem probat ex diversitate ~~τοιχοποιεῖσθαι~~ & ~~τοιχοεξίσθαι~~. Alterum tale est. Si injustitia universalis eadem esset,

eum particulari injustitia, tum omnes, qui injuste agerent, eodem modo & propter eandem causam dicendi essent injusti. At posterius absurdum, ut patet exemplo duorum adulterorum, quorum alter explen-dæ libidini, alter propter præmium & mercedem adulterium committit. E. Tertium hoc est: Si $\omega\lambda\epsilon\sigma\tau\epsilon\zeta\alpha$ seu cupiditas plura habendi, quæ est particularis injustitia, eadem esset cum $\omega\lambda\sigma\sigma\pi\alpha$ seu legum trans-gressione, quæ est universalis injustitia, tum posset $\omega\lambda\epsilon\sigma\tau\epsilon\zeta\alpha$ quoq; re-ferri ad cætera vitia moralia. At fieri hoc nequit. Ergo.

THEOREMA V.

Justitia particularis est virtus, quæ versatur circa bona fortuna, quatenus sub ratione lucri vel damni considerantur consistitq; in æqualitate, seu mediocritate, inter damnum & lucrum.

Ex genere dicitur virtus. Differentia ab objecto (bona fortunæ) & à formal i ratione quatenus sub ratione lucri vel damni considerantur est desumpta. Vox autem damni aut lucri hic non sumenda rigide, prout in contractibus spontaneis, quos homines subeunt locum ha-bent, ut emptione venditione, locatione, oppignoratione, sed analogi-cè & ampliative, ut & iis competit, quæ invitis hominibus fiunt, in qui-bus lucrum rigidum alias non conceditur. Lucrum hic generaliter no-tat plus boni & commodi, minus mali, quod ad alterum redundat. Da-mnum plus mali, incommodi, minus boni, quod ad alterum. Ut Paulus fuste excepit Johannem: lucrum & commodum est penes Paulum per-cutientem, damnum & incommodum penes Johannem percutsum. Judex ad æqualitatem istum percutiendi actum reducat ex justitia, ut tantum damni vicissim redundet ad percutientem Paulum, quantum inferre destinavit percutso Johannem. Aristotelis in hanc rem verba ex-stant cap. 4. Dicitur, inquit, in talibus, tametsi nonnullis minimè pro-prium nomen sit, lucrum ut ei qui percutit, & damnum, ut ei qui passus est. Sed cum affectio perpenditur, vocatur hoc damnum illud lucrum. Quare plu-ris & paucioris medium est æquum: lucrum autem & damnum illud est plus & hoc minus contrariæ: plus quidem boni & minus mali lucrum: contra-rium vero damnum: quorum erat medium æquum, quod esse jus dicimus, & in-

& infra : Emerserunt hec nomina, *damnum & lucrum ex voluntaria commutatione*, &c. Cæterum ex damno & lucro oritur inæqualitas, cum nimirum alter plus habet damni, alter plus lucri, atq; ut hæc inæqualitas compensetur, resq; ad æqualitatem & mediocritatem redigatur, Justitia proprium est & formale. Quomodo autem æqualitas constitui debeat & possit, Aristoteles Loc. cit. Lineæ exemplo valdè apposito docet. Nimirum, si duæ lineæ fuerint inæquales, ad æqualitatem componentur, si vel tantum additum fuerit uni, quantum deest alteri, vel simpliciter tantum alteri detrahatur, quantum est, quo excedit. Hi sunt duo modi constituendæ æqualitatis, quibus adjungi tertius potest, constans cum additione tum subtractione. Exemplis res clarior fiet. Sit hæreditas aliqua duobus fratribus germanis à parentibus relicta, summam complexam bis mille florenorum. Ponamus alterum mille ducentos florenos consequtum, quo casu alteri octingenti cedunt. Hæc divisio inusta est & inæqualis corrigenda additione. Nam quia *damnum posterior*, *lucrum* habet prior, qui quadringentos florenos plus accepit, quam par erat, ideo hi ipsi dividendi in duas æquales portiones, quarum altera addatur ei, qui *damnum* passus fuerat, atq; sic constituta æqualitas est. Hic est modus primus. Rursum ponamus in singulare dimicazione seu conflictu duorum uni vitam eripi. Homicida luctum habet, dum ludinem explevit. Alter *damnum rei carissimæ* passus est. Hic æqualitas constituetur sola subtractione, si homicidæ vicissim illud eripiatur, quo alterum privavit. Hic modus est secundus. Deniq; fac depositam esse pecuniam apud aliquem, quam depositarius negat. Hic & additione & subtractione opus est. Si enim sola subtractione utaris, nondum æqualitas constituta est : additio autem seu restitutio depositi locum habere nequit, nisi præcesserit subtractio. Quemadmodum si duæ lineæ essent æquales, alteri autem aliqua pars adimeretur & adderetur alteri, aliter æqualitas fieri non posset, nisi quod detractum est uni lineæ additum est, alteri, subtrahatur illi & addatur priori, à qua revulsum est.

THEOREMA VI.

Eius proprium munus est suum cuiq; tribuere.

Illigenda sunt hæc verba (i.) non exclusive quasi excludant actuū neminem lædendi & honeste vivendi, sed inclusivè, adeo ut his verbis implicitè exprimantur tria præcepta juris, quantum quidem ad mate-

riam pertinet praesentem. (2.) Intelligendum hoc respectu illius cui tri-
buendum; non respectu tribuentis, cum virtus sit bonum $\alpha\lambda\omega\tau\gamma\sigma\tau\gamma$ (lib. 5. Eth. c. 3. quod alteri commodo est. Habitus non semper in actu
exercito agit, neq; agere potest objecto idoneo non existente, attamen
in actu signato agendi habet potentiam mediis & causis ad habitus exer-
citorum praexistentibus: Intentio E. semper habet esse in viro Justo, se-
cundum virtutem Justitiae vivendi, si qua tamen ex accidente quis labi-
tur, oportet eum resurgere, alioquin si ex ~~negligentia~~ peccat, & affecti-
bus non resistit, sit ex justo injustus, quia injuria alios laedit, & alteri jus-
sum quæsumum indebite auferit, cumq; illicite decipit.

THEOREMA VII.

*Species ejus sunt duæ, Distributiva & Com-
mutativa.*

1. Non immerito huic [speciali] Justitiae species duæ ab Aristot. s.
Eth. c. 2. assignantur, Distributiva nempe & Commutativa: quarum
illa posita est in distribuendo, honore, pecuniis, præmis & oneribus
inter eos qui in civili societate versantur: hæc vero tota in commuta-
tionibus pactis rebusq; contrahendis consistit; illa personarum maxi-
me rationem habet, hæc rerum, illa imprimis pertinet ad Magistratus,
hæc vero ad omnes illa pluribus simul jus tribuit, hæc vero uni duntaxat
vel alteri. 2. Notandum in partitione justitiae ab aliis assignati distinc-
tionem nominis in sua significata, ab aliis divisionem rei in sua infe-
riora: distinctionem nominis assignant Cœnibricenses disp. 9. & hos
secutus Carol. de Raconis, quando distinguunt justitiam in suas
partes integrantes, quales sunt Religio, pietas, gratitudo, &c. Divisio-
nem rei exprimunt, qui justitiam partiuntur in Distributivam & Com-
mutativam, quos & nos sequimur.

THEOREMA VIII.

*Distributiva est quæ versatur circa bona vel mala
communia præmia & onera.*

Ita Aristoteles eam describit cap. 2. *Justitia ex parte seu particula-
ris*

est una quidem species est, que in distributionibus aut honoris aut pecuniorum aut aliarum rerum consistit, qua dividue sunt eisdem civitatis participibus. In his enim evenit ut alter alterius & non equam & aquam habeat portionem. Quibus verbis geminum assignat fundatum differentia inter Justitiam distributivam & commutativam. Primum est ab Objecto ductum. Etenim, verba sunt Dominici Soto, lib. 3. quæst. 6. art. 1. distinctio habituum, si specifica sit, ab objectorum natura derivatur: nam habitus distinguuntur per actus, actus per Objecta. Est autem in Re-publ. in qua justitia aequitatem constituit, duplex ordo, idemque particularis ac diversus, videlicet totius partes & partium inter se, ergo per duos illos ordines duas etiam species justitia discernuntur. Illa autem que aequitatem servat inter partes, nuncupatur commutativa, altera que est totius ad partes, puta quæ communia bona civibus bene dispensas, nominatur distributiva. Quod de communib[us] bonis dicit, valet quoque de communib[us] malis. Namrum ut præmia, quæ publico nomine conferuntur, vel spolia ab hostibus capta, quæ in cives dividuntur, ad totam pertinent communitem seu civitatem, nec alia ratione ad singulos cives spectant, quam quatenus partes illi civitatis & membra sunt: ita quoque onera, puta tributa si civibus imponantur, etenim imponuntur, quatenus eorum quisque Reipublicæ pars est & membrum. Atque hoc fundamentum distinctionis est à priori & essentiale: omnes quippe virtutes objectis formalibus invicem distinguuntur. Unum hic addimus, persolutionem stipendi aut certorum beneficiorum collationem factam compensandæ industriae civis alicujus privatim spectati, non ad distributivam, sed ad commutativam justitiam pertinere. Idem de contractu societatis judicandum.

THEOREMA IX.

In hac servari debet æqualitas proportionis, ut
ajunt, Geometricæ.

Hoc fundamentum distinctionis est alterum, Distributivam à Com-mutativa discernens. Et competere quidem non nisi Geometricam proportionem distributivæ justitiae facile patet. Sive enim præmia sive onera distribuantur, ut æqualitas servetur, fieri utrumque oportet ex respectu & comparatione personarum h[oc] modo: Ut se habet persona ad

ad personam , ita se habet res ad rem ; præmium unius ad præmium alterius , onus unius ad onus alterius , eritq; majus vel minus utrumq; , prout partes cuiusq; in Republ. majores aut minores sunt , prout dignitas vel merita cuiusq; &c. aut majora sunt aut minoria . Ubi observandū , ut dignitatem & merita variare pro diversitate Rerum publ. atq; inde maximas pugnas & criminationes existere , (*jus enim in distributionibus pro dignitate quadam esse oportere , omnes fatentur* . Dignitatem tamen non eandem asserunt omnes esse , sed qui populi gaudent imperio , libertatem : oligarchici partim divitias , partim nobilitatem , optimates vero virtutem dicente Philosopho lib. 5. Eth. cap. 3.) Ita quoq; merita hic non simpliciter spectanda esse , sed cum comparatione . Fieri enim potest , ut non tantum accipiat vir fortis , quantum ejus virtus absolute & simpliciter loquendo meretur : sufficit , si tantum accipiat , quantum ex hac aut alia bonorum distributione ipsi secundum *jus* & æquum debetur .

THEOREMA X.

Commutativa est , quæ versatur circâ contractus , sive voluntarios , sive invitatos .

H. Grotius de Jure b. & p. lib. I. cap. I. notat , hanc speciem justitiae nimis arcto vocabulo οὐαλλαγήν s. commutativam dici : nam ut possessor rei meæ (verba sunt Grotii) eam mihi reddat , non est εἰ οὐαλλάγεται , & tamen ad hanc iustitiam pertinet . Censet autem Grotius Aristotelem felicius eam dixisse ἐπινοηθωτικήν q. d. iustitiam , quæ in emendando posita est , quam ipse nominat expleticem . Hæc ipsa in medio relinquimus : assentiri tamen hi non possumus , quæ statim subjunguntur , cum nec contractus societatis , ut dictum est , ad distributivam pertineat , nec si de eorumuni quid redatur civi seorsim considerato , quod in publicum is impenderat , & , qui dere sua legat , non tam iustitiae quam liberalitatis exerceat actum . Dividuntur ab Aristotele contractus sive commutations (vocem enim οὐαλλάγματος ita latè capit Aristoteles) in Voluntarias & Invitas . Voluntariae sunt quando utrinq; est animus commutandi aut contrahendi : Invitæ sunt , ubi commutatio sit una parte volente altera invita , quale est furum : quod

quod enim res furto transfertur ab uno ad alterum, eo tantum sit volen-
te qui furatur, invito autem altero à quo res furto aufertur. Porro, quoc
sint istiusmodi commutations accuratè definiri nequit. Thomas
Aquinus quindecim enumerat involuntarias. Læditur enim quisquam
vel in re sua, vel in persona, & utrumq; sit vel occultè vel manifesto.
Ubi occultè res alterius accipitur, furtum est, ubi manifesto, rapina.
Persona autem alicujus læditur vel ratione incolumentis vel ratione di-
gnitatis; & rursus vel ipsa in se vel in persona alia certo modo sibi con-
juncta. Cum læditur persona ratione incolumentis occultè, est cædes
dolo facta, beneficium aut fraudulenta percussio. Cum manifesto, cæ-
des violenta, incarceratio, verberatio, mutilatio. Cum læditur persona
ratione dignitatis occultè, est falsum testimonium, aut detractio: cum
manifesto, falsa accusatio aut convitium. Cum quis autem læditur in
persona conjuncta, est adulterium, seductio servi & si quid his simile.
Voluntarias idem Thomas enumerat octo: primo enim transferre quis
rem suam potest simpliciter in alterum pro certo pretio, estq; emio,
venditio. Deinde potest concedere usum tantum rei sua alteri, & ita
ut ipsam eam recuperet: quod cum sit gratis in iis rebus qua fructifi-
cant, dicitur ususfructus; in cæteris mutuum vel commodatum, hoc
quando ita conceditur rei usus, ut eadem numero sit restituenda, illud
quando eadem specie tantum redditur. Quod si autem usus ille con-
cedatur pro pretio, locatio & conductio est. Tertio potest tradere
quisquam rem suam alteri, non ut habeat illam vel illa utatur, sed tan-
tum ut conservet, sicut sit in deposito; vel ut confirmet obligationem
de satisfaciendo ita ut nisi satisfaciat, retineri possit, estq; oppignoratio.
Quarto potest simpliciter se quis obligare ad satisfaciendum pro alte-
ro, & vocatur fidejussio.

THEOREMA XI.

In hac servari debet æqualitas proportionis Arithmetica.

Per æqualitatem in definitione positam æqualitatem Arithmeti-
cam intellectam volumus, in qua non personarum respectus, sed sim-
plex rerum æqualitas observanda. Interim tamen in consideratione

B

æqua-

æ qualitatis rerum observandum venit. 1. æ qualitatem utriusq; rei, non ex quantitate, sed dignitate & caritate æstimandam. 2. non tantum ex re ipsa verum etiam ex officio labore & arte, quæ rei inest vel àdest, æ qualitatem æstimandam. Atq; sic non tantum res cum re verum etiam cum arte labore & officio comparanda vexit salva manente Arithmetica proportione. 3. non obstat æ qualitati proportionis Arithmeticæ, quod nonnunquam comparatio quædam personarum & rerum interveniat: puta si civium unus domum conductat duplo meliorem mea, quam & ipse conduxi, alter quadruplo meliorem. Hie conductio esse justa nequit, nisi locarium primi civis duplo sit majus locatio, quod mihi pendendum est, & locarium alterius sit quadruplo maior. Verum hæc omnia per accidens sunt: nec in locatione aut conductione per se respicitur, quid pendat hic vel alter, sed emolumentum, quod ex usu alienæ domus capit, ita attenditur, ut fiat adæquatio usus & pretii. Si mille quiddam contingit in poenarum inflictione, si forte contingat quandam comparisonem institui inter personas & res. Sed de ea refusius paulo agamus.

THEOREMA XII.

Ad hanc penas spectant, quæ infligi debent proportione Arithmeticæ.

Esse hue referendas penas ex iis, quæ modo de commutationibus invitis dicebamus, manifestum est. Cæterum, quod de proportione Arithmeticæ diximus, ingentem adversariam paratam habet, per falsis plurimis iisdemq; magni nominis Philosophis & Jureconsultis, penas nec ad commutativam justitiam referandas, nec proportione Arithmeticæ infligendas esse. Nec viri tanti sine ratione in hanc sententiam descendis se dicendi sunt, quam putant sufficientem & valitutram se dedisse, dum ita arguunt: Omnis actus Justitiae, in quo personæ qualitas & dignitas attenditur, secundum Geometricam proportionem est instituendus. Atqui, quando poenæ infliguntur, exercetur actus Justitiae, in quo personæ tam agentis quam patientis qualitas & dignitas attenditur. Ergo, quando poenæ infliguntur, proportio Arithmeticæ est observanda. Major videtur esse manifesta. Minor cum experientia constat,

Et, tum auctoritate Aristotelis, qui 3. Eth. cap. 9. de talionis jure agens plurimum interesse docet, an quis magistratum gerens aliquem percussit, an vero alias, item an ipsum magistratum quis percusserit, an alium quempiam hominem privatum, præterea libensne an invitus deliquerit. Nos salva virorum summorum auctoritate scorsim hic sentimus, nihil dubitantes, quin & veritati proxima sit sententia nostra, & ipsi quoq; Aristoteli. Is enim satis disertum poenarum irrogationem ad Commutativam Justitiam refert, eamq; proportione Arithmeticæ constare docet capite 4. ubi hæc habentur verba: *Jus, quod in commercijs (ουναλλαγή μετα) positum est, est quidem aequalum quiddam & injuria iniquum, at non illa proportione, sed ARITHMETICA.* Nihil enim refert, probusne vir malum an malus probum fraudet: neq; probusne an improbus adulteretur: sed ad noctimenti differentiam lex solum spectat, utiturq; tanquam aequalibus: si hic injuriam faciat, ille patiatur, q; si hic lœdat, ille lœdatur. Neq; vero poena aliquid est, quod pluribus tribuitur, aut sub distributionem cadere potest, cum res multis communis minimè sit, atq; infligatur singulis non ut considerantur velut parres totius civitatis, sed ut certo crimen tenetur; & quam non quadret in irrogationem poenarum proportio Geometrica, paulo diligentius rem expendit liquidum fiet. Est enim proportio Geometrica, ubi talis initur ratio, ut, quemadmodum se habet persona ad personam respectu dignitatis, ita quoq; se habeat res ad rem. Id ipsum si ad poenas accommodetur vel accommodari debeat, talem oportet constitutere proportionem; sicut se habet persona ad personam, ita quoq; se habet poena ad pœnam. Unde conficitur, aut mitius esse personam digniorem puniendam, aut gravius. Non certe mitius: omne enim delictum tanto conspicuus in se crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur. Unde factum, ut gravorem pœnam DEUS constituerit in filiam sacerdotis scortantem quam in aliam ē vulgo. Et in rebellionibus multo acrius puniuntur Princeps, autores rerum novarum, quam plebeij. Quod si autem, quo persona est dignior, tanto graviori est pœna afficienda, sequitur Principem, si hominem occidat, vel vivicomburio vel asperiori etiam atq; atrociori supplicio tollendum, cum ejus persona multo sit dignior personæ alicujus ē vulgo homicidæ, qui ob homicidium decolatur. Præterea sope ab una persona delictum committitur, ubi talis comparatio personarum & rerum, qualem proportio Geometrica de-

poscit locum nullum habere potest. Quin si forte id eveniat, ut plutes
in uno scelere deprehendantur, id accidentatum est ptenarum irroga-
tioni, nec illo modo permittit institui per se comparationem. Facia-
mus enim unum idemq; crimen homicidii puta aut latrociniij harere in
nobili & ignobili, conspicuum est, siquidem justitiae debet fieri satis,
qua omni^{τερων ληγία} seu acceptationem personarum excludit
(quod in primis contra proportionis Geometricæ propugnatores ob-
servandum) alterum altero nec mitius nec acrius, sed æquè gravi pena
utrumq; plectendum esse. Deniq;, si secundum proportionem Geo-
metricam infligendæ sunt poenæ, fiet justitiae satis, modo, quantum
est delictum unius alterius delicto gravius, tanto majori quoq; supplicio
afficiatur, puta, si alter furatus sit alter latrocinatus, & affinitatio-
ne communi latrocinium sit duplo vel triplo majus furto justitia suas
explevit partes, modo exegerit à latrotie poenam duplo vel triplo majo-
rem poena furti. Ex quo grande absurdum fluit, ciuam tunc justitiae fa-
tis fieri, cum pro merito poena non exigitur, sed ex proportione. Nam
quernadmodum distributiva munere suo perfuncta est, si non quidem
tantum tribuat viris excellenti virtute præditis, quantum eorum merito
flagitabant, sed, quantum ex præsentibus spoliis ipsis ex jure & æquo
debetur, ut Theorem. IX. diximus: ita quoq; Commutativa officium
suum expleuisse dicenda est, si non quantum commeritus est fur vel
adulter, sed quantum flagitat proportio personarum & rerum, quan-
tumq; de suppliciorum velut cumulo suspetit, tantum tribuat & repen-
dat. Quare in poenis infligendis alia obtinet proportione nequit, quam
Arithmetica, ut nimirum tantum spectetur comparatio & adæquatio
delicti ac poenæ. Interim non negamus, ut in omni Virtute moralis,
ita quoq; in Justitia eaq; etiam commutativa suo quodam modo repe-
rirι μεσότητα τελεσης ημας seu mediocritatem rationis respicientem cir-
cumstantias loci, temporis, personarum. Nam si nocumentum sit per-
sonale, manifestum est id personæ qualitate exaggerari vel minui,
adeoq;, sicut in cæteris actionibus moralibus octo circumstantiae mo-
ralium actionum, Finis, objectum, agens, actum, item locus, tempus,
instrumenta, modus exactissime attendi debent, ita hic quoq; personæ
conditio sive agens sive patiens seu objectum probè considerari de-
bet, ut & delictum suis ponderibus exigatur, & delicto par poena con-
stitua.

stituatur. Exaggeratur namq; vel minuitur personæ qualitate, ~~et~~ ^{et} q; item & animo culpa (ut notum est) pariter & poena. Longe enim, major sc̄epe poena est, cum vir præstans virtute propter delictum aliquod punitur, & paritu, videtur, poena perditus nebulo afficitur. Scilicet, ut quod res est, tribus dicamus verbis, non ipsa proportio, secundum quam poenæ infliguntur, patitur respectum vel comparationem, personæ : ipsi tamen termini proportionis, hoc est, delictum & poena, inter quos velut terminos proportio vertitur, omnino personam attendere jubeat. Sed hæc duo sunt distinctissima. Ipsa proportio est Arithmetica excludens omnem ~~αριθμητικήν~~ & aspectum dignitatis personæ : termini vero hujus proportionis jubent attendere personam, neq; tamen semper, nec omnem personæ qualitatem, sed tunc demum, cum delictum vel poena minuitur vel augetur hac circumstantia personarum. Atq; hæc est sententia Aristotelis & Veterum Philosophorum, à quibus non recedunt nonnulli ex recentioribus cum Philosophis tum Jureconsultis. E Philosophis producimus celeberrimos viros Arnseum, Hotneium, Reinbothium. Ex Jurisconsultis sufficiat unum adduxisse, Vitum in Academia nostra olim primarium Ernestum Gothmannum.

THEOREMA XIII.

*Secundum conscientiam semper tenetur judicare
Judex.*

Vexatissima est quæstio, an Judex secundum acta & probata an vero secundum conscientiam judicare debeat: de qua hic dicenda nobis quedam sunt, cum Judicis sit æqualitatem, in qua sita est Justitia, constitueret, qui propterea dīngis qu. dīxātis, ut habet Arist. lib. 5. cap 4. Ut autem tanto rectius hæc controversia decidatur, præmonemus, quantum scientia & conscientia sc̄ep̄ coincident, fieri tamen posse, ut distinguantur, sitq; alia quæstio an secundum scientiam propriam, alia an secundum conscientiam judicare Judex tenetur, putà, ubi Judex persuasus est in conscientia, quod non secundum suam quantumvis certissimam scientiam, sed secundum acta & probata judicare tenetur. Distinguunt hic nonnulli in conscientiam judicis publicam & privatam: alii in veritatem publicam & privatam: alii in tali casu censem, consultum

sulum esse, ut Judex judicandi munere abstineat. Sed Magistratui tri-
buere duplēm conscientiam contra naturam, jus & æquitatem est, ut
aīt Oldendorpius: veritatem porro duplēm inq; contradictione si-
tām statuere contra sapientiam & rationem est: deniq; hortari, ut Ju-
dex judicandi munere abstineat, nihil aliud est, quam svadere, ut in-
nocentia profligata scelera triumphent. Ponamus enim, in conflictu
nocturno lucenti lunā tribus hominibus consilientibus unum interi-
mi. amplius ponamus haud ita procul ab ædibus Magistratus turbas
hasce dari, ipsumq; Magistratum è fenestra prospicientem ita exactè
novisse homicidam, ut nullus possit metus erroris aut falsi subesse. In
hoc vel simili casu dicimus, quantumvis reus contrà nitatur suborna-
tis falsis testibus, qui forte alii cupiam innocentissimo, de quo itidem
constat Magistratui, (quia forte eadem hora & puncto temporis ipsi ad-
fuit) crimen intendere cupiant, id agendum esse judici, ut abstrusa ve-
ritas diligent exame in lucem protrahatur, minimeq; omnium com-
mittendum, ut scientiam suam, quam supponimus infallibilem, negli-
git, atq; acta & probata attendat, sed potius ut utriq; & scientia & con-
scientia satisfaciat. Hanc enim, conscientiam dico, recte informari
oportet, nec imbui errore satis vulgari, quasi Judex scientia sua negle-
cta semper jūdicare teneatur secundum acta & probata. Oldendorpius
ad propositam quæstiōnem accuratissime responderet auro libello de ju-
re & æquitate, cuius verba hic duxi exscribenda. Porro, inquit, in Effectu
nihil aliud querunt Doctores, quām utrum Judex mendacium an verita-
tem in ferendo sequi debeat. Deinde, Judici probanda res est, non adver-
sario, cui nunquam satisiceret: jam vero quid certius potest cognoscere,
quām quod ipse sit: illud enim superat omnem probandi modum. Tertio,
judex in dubio, quoniam divinare non potest, sequitur acta & probationes
litigantium, ergo per consequentiam sensus & contrario ducti fateri oportet;
cum cognitam habet veritatem, præferri illam debere omnibus omnium
probationum imposturis Quartò, si Judex non debet sequi conscientiam,
quorsum pertinent voces istae, arbitratu viri boni, diligent inquisitione, ex
animi sententia & sexcenta aliae.

THEOREMA XIV.

Justitia duo sunt extrema: plus (excessus) & minus
(defectus) que uno actu vitioso comprehen-
duntur.

I. I.

i. In Excessu peccatur, cum plus tribuitur cui minus debetur. Ut cum Alexander Anaxarcho adulatorum nequissimo centum talentorum præmium dedit, Plutarch. Cum talentum scđto ponitur, mille equisone drachmæ. Peccatur in defectu quando minus tribuitur ei cui plus debetur, ut quando consiliario nummus, Philosopho triobulus, Medico drachma tempore Laërtii constituebatur. De Injustitia Universali vide Horneium.

THEOREMA XV.

Justitia effectus est jus, quod vel naturæ est vel gentium vel civile.

Effectum iustitiae est jus & definitur à Celso JCto, quod sit atque & boni lib. i. ineriss. de l. & I. jus naturale est quod natura omnia animalia docuit, proprie quidem hominem, ita tamen ut in brutis quoq; quædam hujus juris simulacula atq; vestigia colligantur. Estq; hoc jus semper fixam & immutabile, non quidem ratione hujus vel illius individui, sed ratione totius & integræ specie: Atq; sic ratione determinationis legem naturæ mutari concedendum, non vero sui ipsius. Jus gentium est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, est vel simplex seu rationis & primævum, quod ipsum jus naturale est vel ratiocinationis seu secundarium quod in specie jus gentium appellatur. Unde jus gentium & naturale quia duntaxat inter homines servatur, sæpè promiscue usurpantur in l. 1. 2. 6. & 9. h. tit. § pen. instit. eod. § singulorum instit. de R. Divis 1. 1. ff per pact. 1. mores. 1. sorores. ff. de ritu nuptiarum l. 19. ff. de captiv. & postlim. reversi. Homines autem intelligo, qui naturæ ac rationis non adeo sunt impeditæ, incultæ & barbaræ, ut jure & ratione uti naturalemq; impetum à jure discernere norint. Jus naturale rationis seu gentium primævum à jure ratiocinationis seu secundario realiter non tantum ratione differt. Naturalis namq; ratio vel simplicius quid concepit & justum arbitratur sine ratiocinatione, vel plenius cum rationis habito discursu & ratiocinatione tandem quid deceat & justum sit decidit & determinat. Est enim jus naturæ inclusum propositionibus, quarum veritas cognitissima est, simulatq; ipsi cognoscuntur termini. Atq; hoc jus determinavit Natura mandando, vetando: à quo qui distinguunt jus Naturæ quod consulendo & svalendo

dendo absolvitur, rem acu tangunt. Huc enim (ad consulta Naturæ)
referri debet omnium bonorum communio, omnium hominum par
libertas: haec enim svadet Natura, quæ maximam hominibus charita-
tem commendat, ut quorum idem ortus, idem sanguis est. Et profecto,
si in integritate concreta homines persistissent, aut hodie quoq; ma-
gna esset hominum simplicitas & innocentia, qualis primorum fuit
Christianorum, ab illis naturæ consultis recedi minime necessum esset.
Verum, quando innocentia hodie non rara, sed nulla est, nec hodie
tantum, sed statim post imaginem DEI amissam, hinc factum est, ut
emergetur jus Gentium proprietates adsignans & adstruens jura bel-
li, &c: adeoq; à duobus malis minus ferè eligens, nec ut jus naturæ est
integro homini insitum, sed lapsui deum humano superstratum,
contraq; Naturæ consulta tendens: de quo hic plura dicere prohibemur.
Jus autem civile est quod quisq; populus sibi constituit. Per populū h.l.
non intelligimus hanc vel illam civitatem in particulari, sed talem, qui
in eadem societate versatur, iisdemq; legibus à superiore latis uitetur.
Et sic per populum h.l. inrelligimus Rem publicam seu civitatem in ge-
nere, ut est populus Romanus, Turcicus, Hispanicus, Anglicus. Hinc jus
civile ab unaquaq; civitate generaliter sic considerata, denominationem
accipit, & appellatur jus Romanum, quo Romani utuntur, Turcicum
quo Turcae utuntur. Estq; scriptum vel non scriptum; scriptum jus di-
citur, quod constat expressa aliqua lege, sive immediate ab ipso populo
illud expresse sancitum, sive mediate per plebiscitum, SConsultum. Prin-
cipum placita aut Magistratum edicta. Sine scripto jus est quod
diuturnis moribus & usu introductum. Diuturni enim mo-
res consensu utentium approbati, legem
imitantur.



VId justum ac fas sit non est sat quærere
verbis

Q Nec de justitiæ disseruisse bonis,
Justitiæ qui vult censeri cultor & æqui,

Is factis ipsis se probet esse bonum.,

Nunc Schultzen de justitia schola nostra loquen-

Audit, & in justi frangere nequitiam. (tem
Omnem post vitam nobis fac laude coruscum.

Cœligenæ liceat cernere justitiæ.

*Convictori suo suavissimo Dn. Johanni
Schultzen de Justitia publice
disputanti*

Johannes Quistorpius D.
Th. Facult, Senior, & Su-
perintendens.

Justitiam cuncti magno conamine poscunt,
Illa sed ad superos, O tristia fata! remigrat,
Mortalesq; fugit cœlesti semine nata.

Hinc furor immanis, premit hinc injuria terras
Fraus, dolus, infandum! regnant, jus exulat orbe,
Phosphorus ille nitens terras Astræa reliquit.

Hanc cœlo Schultzi deducere niteris? erras:
Non vult Terrigenum prensarier amplius ulnis,
Humanas experta manus, unguesq; rapaces,
Sed Tibi mens alia est; Divam complexus amore,

Hanc

Hanc colis, excelsâ quamvis sit sede locata,
Hinc jus, quidq; æquum calamo depingis, & ore
Promis, ut auricomum præsentans lucida vultū
Justitiæ Lampas, collustret lumina cœca,
Mortalesq; sui divino illeget et amore.
Sic decet Astreæ mature addicere mentem,
Justitiæ Præco quò tandem jure voceris,
Justitiam coluisse juvat, si non datur uti,
Cultores amplis exornat laudibus illa.
Nec Te destituet Schultzi largissima merces,
Tu modò justitiæ constanter Numen adora.

Ita Eximio & Literatissimo Dn. Johanni Schultzen,
Convictori & Amico suavissimo, de justitia Dispu-
tatuero, congratulando applaudis

M. Michael Falck / Dantiscanus,

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Inquit Philosophus: magis ast felicior ille,
Qui potis est juris primos inquirere fontes,
Nec non justitia quaesunt, perpendere nosse:
Illa suis etenim rectum præponere suadet,
Communesq; seque leges, injustaq; nunquam
Largiri sociis. En tu Doctissime Schultzi
Hoc meditaris opus, nec inania mente revolvis,
Vel fragiles sectaris opes, quibus hoc superaddo:
Prospere cuncta tuis cæptis pia fata secundent.

Hisce contubernalem, commensalem, ut & Sympa-
triotam suum suavissimum, de justitia & jure di-
sputantem; prosequi ut debuit, ita
& voluit.

David, Calen. Rig Liv,



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730222624/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730222624/phys_0023)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730222624/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730222624/phys_0024)


DFG

i. In Excessu peccatur, cum plus tribuitur
cum Alexander Anaxarcho adulatorum nec
rum præmium dedit, Plutarch. Cum talentū
equisoni drachmæ 2. Peccatur in defectu qua
plus debetur, ut quando consiliario nummus, I
dico drachma tempore Laërtii constituebatu
vide Horneium...

THEOREMA XV

*Justitia effectus est jus, quod u
gentium vel civile*

Effectum justitiae est jus & definitur à Celi
& boni lib. i. ineriss. de l. & l. jus naturale est q
lia docuit, proptè quidem hominem, ita tam
dam hujus juris simulacra atq; vestigia collig
per fixum & immutabile, non quidem ratione
sed ratione totius & integræ speciei: Atq; si
legem naturæ mutari concedendum, non ve
est, quod naturalis ratio inter omnes homines
seu rationis & primævum, quod ipsum jus i
tioris seu secundarium, quod in specie jus gen
jus gentium & naturale quia duntaxat inter ho
mīscue usurpantur in l. 1. 2. 6. & 9. h. tit. § p
rum instit. de R. Divis l. 1. ff per pact. l. more
ptiarum l. 19. ff. de captiv. & postlim. revers. E
qui naturæ ac rationis non adeo sunt imped
ut iure & ratione uti naturalemq; impetum
Jus naturale rationis seu gentium primævum
secundario realiter non tantum ratione differ
vel simplicius quid concepit & justum arbitra
vel plenius cum rationis habito discursu & rat
deceat & justum sit decidit & determinat. E
sum propositionibus, quarum veritas cogniti
cognoscuntur termini. Atq; hoc jus determi
vetando: à quo qui distinguunt jus Naturæ



the scale towards document

betur. Ut
m talentō.
ur, mille
uitur ei cui
bulus, Me
Universali
7 vel
git ars æqui
nia anima
quoq; quæ
oc jus semi
individui,
minationis
is gentium
vel simplex
ratiocina
rit. Unde
, sàpè pro
§ singulo
de ritu nu
intelligo
z barbaræ,
ere norint.
ationis seu
amq; ratio
natione,
ndem quid
uræ inclu
pulatq; ipsi
bandando,
ndo & sva
dendo

Image Engineering Scan Reference Chart TEX03 Serial No. :
Patch Reference numbers on UTR